DOMINICI DE RUBEIS CIUIS VENETI TABULAE PHYSIOGNOMICAE . IN QUIBUS...

Dominicus : de Rubeis





12
15
5
37

TABVLÆ

PHYSIOGNOMICÆ.

DOMINICI DE RVBEIS


CIVIS VENETI

TABVLÆ PHYSIOGNOMICÆ.

In quibus claro ordine, summaq; facilitate tùm Antiquorum, tùm Recentiorum Physiognomorum axiomata vigent.

EMINENTISSIMO PRINCIPI D. D. IOANNI ARMANDO DE PLESSIS, S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO, DVCI DE RICHELIEV, PARI FRANCIAE, &c.

DICATÆ.





VENETIIS, M.DC.XXXIX.
Apud Gasparem Corradicium.

Superiorum Permissu, & Priuilegio.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
D. D. IOANNI ARMANDO
DE PLESSIS,
S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,
DVCI DE RICHELIEV,
PARI FRANCIÆ, &c.

DVM Celebre illud Celsitudinis fastigium, CARDINALIS EMINENTISSIME, Te ascendisse contemplor, vt Potentissimus, atq; Christianissimus Galliarum Rex Cęlum illud Gallicum (ita ob nobilitatis præstantiam fas sit appellare) humeris tuis impositum voluerit,

rit, haud mentitum Atlantem ſanè quidem comperio; veriùs ad Cęlum iſtiuſmodi mouendum Intelligentiam, ſeu Mentem à Rege illo tanquam Supremo Motore conſtitutam; quandoquidem ordinatiſſimo motu, mente ipſa conſulente, regente, ciuilia ęquiſſimè adminiſtrantur, militaria ſtrenuiſſimè tractantur; Diuina, Optimo CARDINALIS *exemplo, Auctoritateq; piiſſimè venerantur, coluntur. Inſigne planè; ac firmiſſimum ſummæ virtutis argumentum. Cum enim Prudentiſſimus ille Rex Te ad Ampliſſimam Auctoritatem quàm ſapientiſſimè euexerit; profectò Te omnium virtutum ornamentis cumulatum cognouit; quod quidem experientia teſte, Famaq; ipſa vbique terrarum celebri comprobatur. Quòd ſi magnum illum Cęſarem ob præclara, auguſtiſſimaq; acta, geſta ve in numerum diuorum retulit; nec non diuinis honoribus affecit gentilitas; certè hæc eadem tibi veluti nouo Cęſari præſtitiſſet. O' ſanè*

pro-

prodigiosum, atque incomparabilem Virum tanto Rege, tanto Regno dignum. O fortunatissimum Regem tanto presidio tutum. O fœlicissimum Regnum tanto Heroe moderatum. Quia verò EMINENTIAM incredibili Humanitate, mirabili quodam nexu, copulatam audio; idcirco Opusculum hoc à me diuturnis laboribus, atq; vigilijs confectum, obsequij, venerationisque meæ non modicum testimonium, Tuo immortali Nomini, ac patrocinio consecrare non sum veritus; retraxit quidem diu tanti Viri Amplitudo, & Dignitas, impulit tandem singularis erga quoscunque viros Humanitas, quam vniuersi cùm Galli, tùm exteri suspiciunt, prædicant, admirantur. Quamobrem hasce tabulas, qualescunque sint, læto, ac sereno vultu accepturum confido; quod si ex sententia cadat, ad longè maiora, & clariora addetur animus, Humanitatem haud vulgarem vbiq; locorum constanter prædicabo, meq;

E.T. deuinctissimum seruum perpetuò fatebor. Interim Sacras humillimè deosculor vestes, ac reliquos vitæ tuæ dies bonis omnibus cumulatos etiam, atq; etiam precor.

Venetijs Kalendis Decembris. M.DC.xxxix.

Eminentiæ Tuæ

Humillimus, ac deuotissimus seruus

Dominicus de Rubeis.

LECTORI.




PHysiognomiam humano generi valdè vtilem, ac iucundam esse, omnibus constat. Per hanc enim scientiam hominum mores, eorum ingenia, animi affectus, eius, & corporis vigorem, ac alia facilè deprehendimus. Vnde in secretis committendis, amicitijs iniendis, nostris consulendis, & quibuscunq; negotijs gerendis cautiores efficimur. Cum enim ex improborum consuetudine nostra agatur pernicies, ex proborum verò salus paretur, ex mediorum tandem exiguum, aut nullum hauriatur commodum; ideò perbreuem, ac

expe-

expeditam viam ad eandem facillimè percipiendam sternere operæ prætium mihi visum est. Quare Antiquorum, ac Recentiorum Physiognomorum volumina apud me esse cura, & diligentia complexus sum, ex quibus, sententijs, seu (vt nonnullis placuit) axiomatibus physiognomicis excerptis hasce tabulas confeci, quas demum ad communem vtilitatem in lucem edidi; Verum superest, vt te (prudens lector) circa rerum pronunciationem moneam; idcirco sententiam, & iudicium tuum in vno istorum signorum minimè præcipitato, sed omnibus; presertim vultus, & capitis, idest, eorum partibus cautè inquisitis, collatisque explorato, quæ consentiant, quæ discrepent, quæ idem arguant, quæ contrarium declarent: sique omnes, vel plurimę vni significato suffragentur, certius pronunciato, si vni, duobusve monitis cęterę refragentur, assertionem cohibeto. Malas verò

Na-

Naturę humanę propensiones Ratione co-
hiberi posse, neminem latet. Gaude igitur
plaudant & posteri virtuti penitus indul-
gentes, & in hoc tanquam in angustissimo
poculo Nobile, ac vtile Nectar quilibet
salutariter hauriat.



Er-

Errata sic corrigito.

Primus numerus paginam, secundus lineam indicat.

		Errata	Correcta
9	2	curris.	curis.
24	1	præseferrentes.	præseferentes.
31	2	retrogadæ implicatum veneri.	retrogada implicatum venere.
41	2	bibacitati, salacitatiq;	bibacitate, salacitateq́;
50	2	inuoluantur.	inuoluuntur.
75	1	in versis.	inuersis.
80	1	snuperius.	superius.
128	2	inertam.	inertem.
144	2	pficientem.	perficientem.

Cętera, si fuerint, tua (benigne lector) tollito prudentia.

PARTIVM HVMANARVM ad Physiognomiam planè attinentium, hocque in opere contentarum alphabeticus index.

CAPILLI	SIGNIFICANT
Albi.	Deceptorem, trucem.
Aſperi, craſſi.	Audacem, fortem, illepidum, inciuilem.
Cani, vel caluities in iuuentute.	Impudicum, inſtabilem, incontinentem, loquacem, mendacem, non audacem, ſuperbum verò, vanum; at parùm in terris longęuum.
Colore aureo ex flauo, & rubeo mixto.	Bonam indolem, mitem animum, diutinamq́; vitam.
Colore …andenti quodã nigrore nigreſcenti.	Cogitabundum, fidelem, prudentem, prouidum.
Colore caſtaneo.	Dilectum, iuſtum, rectum.
Colore …bſcuro, parùm tendenti ad nigredinem.	Iuſtum, ſapientem, peculiari prudentia inſignem, at cholericum, & triſtem.
Compreſſi, fronti eminentes.	Animum fortem, & brutalem.
Compti nimis, & ornati.	Venereum.
Craſſi albioresq́, circa tempora, & aures.	Mores indociles, & indomitos.
Craſſi flaui, albidi.	Idem.

A ruben-

	rubentes.	Maleuolum, procacem.
	tenaces.	Audacem, fortem, tamen fallacem.
	duri.	Animosum, indocilem, insipientem, rudem, superbum, sæuum.
	eleuati multùm.	Audacem, iracundum, festinum in operando, ac inconsultum, leuem, locutuleium, mendacem, salacem, superbum, vafrum.
Crispi	grossi.	Malè moratum, ingenio rudem, trucem, varium.
	in extremitatibus tantùm.	Modicè animosum, liberalem, magnanimum, optimè moratum, fidum, atq; solertem.
	subtiles, molliculi.	Luxuriosum, & pusillanimem.
	valdè, & densi.	Auarum, lucri satis cupidum, dolo deditum, salacem, vaniloquum, mendacem, superbum, vafrum, varium.
	admodum, & grossi in iuuentute.	Tempore maturiori, stultitiam.
	circa tempora, & aures.	Libidinosum, sed astutum.

Densi


Densi	ibidē duri,& crassi.	Agrestes mores.
	per totum caput, & nigrescentes.	Auarum, ad lucrum auidum, fraudulentum, insidiosum, maleuolum, imperiosum, contumacem, immitem; presertim si duri extiterint, luxuriosum, immemorem, ac inertem.
Directi in capite.		Meticulosum, pigrum.
Duri.		Fortem, impium rudem.
Extensi, & tenues.		Mitem, timidum.
Flaui	albicantes.	Pacificum, veridicum, sed breuis vitæ.
	leniter, qui subflaui dicuntur, moderatè tenues.	In disciplinis capessendis propritudinem, egregiam animi subtilitatem, & artificium.
	rubentes.	Fortem, iracundum, fallacem.
	valdè, non multùm tenues.	Consilij, & ingenij expertem, inuidum verò, malignum, mordacem, gloriosum, agrestem, trucem, vanum.
Medij	inter asperos, & suaues.	Animi rectitudinē, & morū prestatiā; precipuè si in corū extremitate tātùm essent crispi.

	inter molles, & duros.	Ingeniosum.
	inter raros, & dēsos.	Laudabiles mores.
Molles	rari vtraq; mensura tenues.	Effeminatum, insidiosum, ingenij obtusi, inertem, timidum.
	subtiliores, & rariores, maximè nigrescentes.	Auarum, lucro etiam nefario implicatum, inuidū, subdolum, inualidum, metuentem.
	tenues tantùm, alio malo non impugnanti signo.	Debilem, mansuetum, pacificū, honestum, boni ingenij, luxuriosum verò, & pauidum.
Nigri	crassi.	Cogitabundum, stupidum, sordidum, inertissimum mœrentem.
	leniter, subnigri appellati, & molles.	Iustum, fidum, ingeniosum, pacificum, probum, studiosum, veracem.
	lutei, & stabiles circa tēpora, & aures.	Animum violentum; syluestresque mores.
	recti.	Amarum.
	recti, aliquātū crassi.	Salacem, stultum.
	solidi, valdè crassi.	Ingenio rudem, ferinum animo, paremq; moribus.

tan-

tantùm.	Auarum, lucri cupidum, metuentem, mestum, studiosum, sagacem.
valdè, & densi, potiùs duri, quàm tenues.	Cholericum, in operibus celerem, improuidum, modicè fidum, haud felicem, sed vltorem.
Plenè subtiles, & molles, bono suffusi colore.	Ingeniosum, pacificum, iustum, veracem.
Positicij gratia ornatus.	Omninò venereum.
Rari, rigidi iuxta tempora.	Parùm humanum, inertem, timidum.
Rari, tenues, præcipuè iuxta tempora.	Debilem, ingenij obtusi, molliculum, quęstuosiorem, tamen pauidum; si verò nigri, & valdè rari essent: insidias, & fraudes notarent; quod in capite arguitur tantùm.
Resupinati in fronte.	Vehementem, quandoq; sapientem.
Rubentes.	Acrem, iracundumque.
fusci tendentes ad nigredinem.	Iracundum, dedignosum, vindicem, sęuum.
intensione rubedinis.	Callidum, dolosum, insidias molien-

		molientem, inuidum, irascentem, furentem, trucem, superbum, contumacem, vanum.
Rubei	subalbidi.	Auaros mores.
	tenues, molliculi.	Boni ingenij, claræ mentis, proborum morum, at citò irascentem, sed tardè insedantem.
	velut crocus.	Humanitatis expertem, perfidum, peruerbosum.
Rufuli.		Auarum.



FRONS

FRONS		SIGNIFICAT
Alta	cum palpebris oculorum demissis.	Dolosum.
	extra modum.	Contumacem, stultum.
	gibbosa, & rotunda.	Imprudentem, pigrum, stolidum, æquiparandum asino.
	lata, & longa, modicè torua.	Bonum ingenium, ac mores.
	valdè, & incomposita, cum asperitate cutis.	Stultum improbum.
Ampla.		Liberalem.
Angusta.		Imperitum, stolidum.
Aspera.		Deceptorem, inciuilem.
Aspera, dura.		Prauum, nequam.
Austera, demissa.		Iustum, prouidum.
Austera, prodigiosa.		Crudum, molestum.
Caperata, & rugis contracta, in medio tamen decliuior.		Magnanimum, & ingeniosum, sed crudelem.
Capillata versus nasum.		Liberalem.

Capillitior, & tempora hirſuta.	Arrogantem, luxurioſum, ſuperbum, obſtinatum, ſeditioſum, vanum.
Carnoſa.	Inſenſatum, indocilem, inſcium, ſtultum, voracem.
Contrahens ſe ſępè cum ſuperciliis in medium.	Vili lucro intentum, hocq; per fas, & nefas patrantem.
Cuſpida in angulis temporum.	Eneruem, iracundum verò, inſtabilem, ſuperbum, ſui ſenſus, potiùs ſimplicem, quàm ſapientem, & vanum.
Demiſſa — humiliſque.	Iuſtum, manſuetum, ſtudioſum, veracem.
Demiſſa — humilis, at ſuper oculos naturaliter cadens, ſed erugata exiſtat.	Fallacem, iniurioſum, litigioſum, ſuſpicioſum, & valdè vindicem.
Demiſſa — obſcura.	Planctui promptum.
Demiſſa — triſtis.	Flebilem, iraſcentem, iurgiaq; ſępè mouentem.
Diſtenta in latitudinem.	Mentem ſtupidam, & ad eandem mouendam idoneum valdè.
Diſtenta in longitudinem.	Optimorum ſenſuum, & docilitatis,

	litatis, proborum morum, sed vehementem aliquantulùm.
Eleuata in gyrum, si capiti benè correspondeat.	Bonum, lætum, liberalem, prudentem, probum, atq; magnanimum.
Erugata.	A curtis semotum.
Erugata, at exporrectior.	Fallacem.
Glabra, & complanata cuticula, nisi ultra supernam superficiem nasi.	Dolosum, irascentem, profanum.
Habens laxam, & tanquam ridentem cutem.	Blandum quidem, sed non innoxium. est enim palàm blandiens, clàm detractor.
Habens velut fossas, & monticulos.	Veteratorem, & perfidum; ac interdum stultum, & insanũ, si cæteri adfuerint signa.
Innuens.	Temerarium.
In temporibus quasi inflata, in grossitudine carnis; maxillisq; plenis carne.	Animosum, iracundum, instabilem, superbum, cupidum ferè omnium, imprudentem, ingenio hebeti, vanitateque tumidum.
Lata, eleuata modicè.	Docilem, prudentem, iustum, libe-

	liberalem, fidum, sed cholericum, & leuem.
Laxa, diffusa, vel aspera, concaua in medio cum tranquillitate cutis arridenti.	Auarum, versutum, ac fortasse plenum inscitia.
Lenis, nec non rugosa, quæ quidem inter tersam, & rugosam dicitur.	Iustum, prudentem, seuerumq; in iudicando virum, tãquam iustitiæ omninò deditum, ac omnimodè virtutum amatorem, atque studiosum.
Læta.	Hilarem, iucundum, & è conuerso.
Longa satis.	Adulatorem.
Magna — carnosa lenis, & tanquam lucida.	Indocilem, ignarum, ignauum, iracundũ verò, rixosũ, simulatorem, superbum vanum.
Magna — mediocriter.	Laudabilem.
Magna — nuda pilis, & vndiq; aliquantulùm rotunda.	Audacem, arrogantem, callidum, iracundum, instabilẽ, superbum, dolosum, & in malis sat ingeniosum, vaniloquum, & mendacem.
Magna — valdè; præsertim cum grossitie carnis nimia.	Ingenio hebetem, imprudentem, pigrum, stultum; maximè si valdè lata extiterit.

Medio-


Mediocris.	Ingenij acumine pollentem, & ad dicendum propensum.
Media verò inter tranquillam, & nebulosam.	Optimos mores, omni laude dignissimos.
Mæsta, & decliuis.	Nocte, atque die mærentem, haudque felicem vitam in humanis degentem.
Minus plana.	Sagacem.
Nebulosa.	Audacem, auarum, lucri cupidum, maxima concipientem, sæuum, pertinacem, terribilem, vanum.
Nebulosa, cum pupillis oculorum imparibus.	Pessimum; ideò fugiendum.
Obnubilosa verò, cum facie mediocri, & læta.	Mitiores mores.
Obducta, & feralis.	Indomitos.
Oblonga, cum facie oblonga, & tenui mento.	Crudelem, atque tyrannum.
Parua { angustaq;	Indocilem, inscium, inquietum, inquinatum, gulæ vitio deditum, stolidum, voracem.
Parua { simpliciter.	Iracundum, festinum in operando.

valdè.	rando, leuem, parùm disciplinabilem, & tenacem.
	Nimis irascentem, discordem, artibus inhabilem, vitijs idoneum, insipidum, stultum.
Pilosa.	Credulum, inscium, luxuriosum, rudem, vanum.
Plana, lætaq; erga aliquem cum labiorum commotione, & oculis ridibundis.	Nequitia plenum, assentatorem, derisoremq; cui nihil fidendum est.
Plana valdè, & continua sine rugis, sed depressa aliquantulùm.	Iræ promptum, leuem, festinum, pertinacem, litigiosum, iniuriosum, gloriosum, vilem.
Protensa, sublucida.	Adulatorem, atq; dolosum.
Quadrata, moderatæ magnitudinis, consona capiti.	Eruditissima indole, summa iustitia, prudentia, magnanimitate, atque virtute præditum.
	Virilitate insignem.
Recta, macra, mediocris, neq; lenis, neq; aspera.	
Rotunda.	Iracundum, atque subdolum.
Rotunda in temporibus.	Arrogantem, iracundum, superbum, instabilem, subtilis tamen

		tamen intellectus, honoris cupidum, & ad vtrumq; conuertibilem, ideſt bonum, & malum.
Rugoſa	ad ſui medium declinans.	Iracundum, ſubcrudelem.
	E ſui medio in altum erecta cum ſupercilijs.	Admiratorem.
	in longum, pręcipuè in radice naſi.	Cogitationes melancholicas.
	in medio tantùm.	Auarum, lucri cupidum, artium verò occultarum indagatorem, ſed triſtem.
	nimis vndique.	Auariorem, quæſtuoſiorem, męſtum ſatis, magna meditantem, at nihil perficientē, valdè audacem, & ſęuum.
	rugis inconcinnis referta.	Deceptorem, callidum, inuidum, malignum, procacis linguæ, ſat ſuſpicioſum, atq; tenacem.
Seuera, & minacis; pręſertim cum ſuperioribus corporis partibus, inferioribus, maioribus.		Bellatorem fortiſſimum, magnanimitate, ac regendi cupiditate tumidum, trucem, vanum, & audaciſſimum.

Spa-

Spatiosa nimis, & lata.	Asperum; indiscretum.
Sublata, turgida, rotunditatem vsurpans.	Versutum, tergiuersantem.
Tetrica.	Molestum.
Torua, lataque.	Audacem, belligerum, spiritibus ingentem.
Tranquilla, idest serena, & exporrecta.	Assentatorem.
Valdè depressa.	Pessimos mores.
Valdè distorta.	Secordem, ac stupidum.



SVPER-

SVPERCILIA SIGNIFICANT

Albicantia.	Effœminatum, imbellem, citò credulum, imprudentem, stupidum.
Arcuata, adeò vt penè naso adiungantur.	Ingeniosum, subtilis, immò penetrabilis intellectus, ac studiosum.
Arcuata, ad conum nasi coniuncta.	Subtilem in inuentionibus, ob ingenij aciem, & valdè prudentem.
Arcuata, ibidem conuexa.	Tristem, & parùm sapientem.
Arcuata, simpliciter.	Animosum, virilem.
Arcuata, sursum erecta frequenti motu.	Audentem, arrogantem, superbum, iniuriosum, ininacem, strenuum, & vanum.
Breuia, flauaque,	Credulum, imbecillem, mutabilis ingenij, & pusillanime.
Breuia, & parua.	Parùm sapientem, metuentem, vanum.
Carnosa cum raris pilis.	Ingenium hebes, inertiam, ac fortasse dementiam.
Coniuncta naso, & rara pilis.	Accuratum in omnibus, arcano dignum, benè moratum, iustum,

Coniuncta naſo, ſed denſa pilis.

Criſpa, & tendentia deorſum.

Denſa, ideſt, valdè piloſa.

Dependentia, vel oculis imminentia.

Depreſſa ad naſum.

Deſcendentia per incuruationem à parte naſi.

Directa, lineata, & prolixa.

Eleuata, & denſa.

ſtum, fidum, pagis amicum, vix ridentem, ſed ſtudioſum.

Impium, inuidum, malignum, fraudibus deditum, lenonē, maleficum, irreligioſum, homicidam, cunctisq; ſceleribus ſe immiſcentem.

Inuidum, malignum, mordacē in omnes, ſuſurronem, vanum, ſuſpicioſum, tenacem.

Ineptum ad loquendum, multis vero cogitationibus, & mēdacijs occupatum; ſi autem nigerrimi eorum eſſent pili, nequitiam omnimodè demonſtrarent ſimul.

Inuidum malignum, detractorem, ac deriſorem.

Rigidum.

Ingenioſum in nefandis negotijs.

Malū, imbecillem, & femineū animū, etiā vnà cū operibus.

Animoſum, mordacem, rigidum, vanum.

Exten-

Extensa, crassaque. Imprudentem, inscium, vaniloquum, vitiosum.

Expansa. Tristem.

Hirsuta. Bardum, atque sylvestrem, animo.

Iuxta nasum inflexa. Austerum, & acerbum.

Iuxta tempora inflexa. Derisorem, lingua noxium, atq; duplicem, simulantem, sordidum.

Iuxta nasum diuulsa, & ad tempora extensa, more suis. Indisciplinabilem, gulæ datum, immunditie exornatum, inuidum, inscium, impudentem, stolidum.

Longa, tempora versus. Arrogantem, imprudentem, inuerecundum.

Longis valdè, multisq; pilis referta. Magna meditantem, sed serum.

Molliuscula, plana, atq; inuicem respondentia ex æquo sibi nigrantibus pilis. Iustum, probum, veracem, valdèq; ingeniosum.

Non extensa, sed veluti curua. Virilem.

Nudata pilis. Timidum.

Pellem tortuosam habentia. | Iracundum, superbum, instabilem, vaniloquum.

Pilos refractos versus frontem tenentia. | Animosum, cholericum, rudem, sęuum.

Quando panduntur ad tempora. | Immundum, derisorem, atq; simulatorem.

Rara, mensuratæ magnitudinis. | Facillimam impressionem ad intelligendum, naturæq; arcana indagandum.

Rara nimis. | Citò credulum, debilem, remissum, timidum, facetum.

Rubescentia. | Audacem, à pietate remotum, ambitiosum, salacem, vanū.

Separata nimis. | Dementem.

Sursum eleuata, cum spiritu ab intimis tracto. | Iniquum, iracundum, mordacem, sæuum, superbum, imprudentem tamen in suis, ac leuem.


Tenuia, mollicula. | Ingeniosum, pacificum.

Titillantia, videnturq; modicum subagitare se. | Audacem, animo elatum, & furibundum, maximè cum labiorum commotione immodica.

CILIA

CILIA	SIGNIFICANT
Crebrò palpitantia.	Meticulosum, & maniacum.
Deorsum inclinata cum alteri loquitur, & intuetur quasi latenter sub eis.	Valdè malitiosum, mendacem, mordacem, proditorem, vafrum, non multùm loquacem, pigrum in operando, in operationibus tectum, atq; tenacem.
Immobilia.	Stupidum.
Maiora, & grossiora.	Longiùs videntē, at impudentē.
Mobilia cum suspirio.	Amoribus obnoxium.
Quorum pili defluunt, hocq; in supercilijs etiam, & capite eueniendo;	Nimiam salacitatem.
Quando verò existunt, & infrà curuantur, vel ad vnam partem torquentur.	Mendacem, & callidum.
Sanguinea, & crassa.	Edacem, bibacem, luxuriosum, inuerecundum, imprudentem, vanum.
Subtile retractum inferius habentia, in tantum vt oculi obtegatur album in acuta aliqua passione.	Mortem.

Superiora, inferiora cooperientia, & hoc quantùm ad pilos non ignorandum est.		Longam vitam.
Tenuia.		Celebres mores.
Tenentia pilos.	solidos, & nigros.	Constantem, & perfectum animum.
	subtiles, albicantes, aut flauescentes.	Malitiosum, vitiosum.
Tumentia superiora, parùm supra oculos declinantia.		Insolentem, & quasi visum alligatum habentem.
Valdè carnosa.		Malam calliditatem.
Veluti vesiculas dependentes habentia.	superiora.	Sompiculosum.
	inferiora.	Potatorem ruinosum, ebriosum; maximè si rubore obducta fuerint, quare, & nimiam salacitatem.
	vtraque.	Vtrumque.



OCV-

OCVLI	SIGNIFICANT
Abſconſi quaſi in capite, ideſt, intus valdè concaui.	Audacem, crudelem, inuidum, malignantem, fallacem, libidinoſum, mendacem, malitioſum, peſſimæ iræ, valdè memorem; prẹſertim iniuriarum, ſuſpicioſum, ſatisq; prauum, at longiùs videntē.
Ad interiora, ideſt, ad naſum vergentes, ſeu ſpectantes.	Amabilem, amicabilem, gratioſum, atque venereum.
Albedinem ſubnigram habentes.	Magnum hominem in honore viuentem.
Albi, nimiùm lucidi.	Doloſum, metuentem.
Albi verò, parùm lucidi.	Debilem, ingenio hebetem, puſillanimemq́ue.
Ambas palpebras iuxta medium viſum comprimentes, & vtrinque, vt expaueſcentes, retrahant.	Mẹchum; ſi vero haſce paulatim deprimant, & molliter, placidèq; reuocent, & aciem dirigant: Aſſectatorem pulchritudinis, delicioſum, & adulterij officium profitentem.
Ampli nimis, aut prodigioſæ aperturæ.	Furentem, luxurioſum, aliquādò mendacem, vaniloquum, ſegnitiei expertem, ſed audacem.



Aperti tantùm.		Inertem, timidum.
Aperientes se valdè frequenter, & perstant, vt aliquid meditantes.		Animi conceptus, & perpensiones; quæ verò sint, facillimè (oculorum qualitatibus reputatis) conijci poterint.
Aperti semper	benè decentes, & vigilantes.	Fidelem, iustum, humanum, studiosum, veracem.
Aperti semper	diù stantes.	Inuerecundum, stupidum.
Aperti semper	fixè intuentes.	Impudentem, deceptorem, vafrum.
Aperti semper	in dormiendo.	Meticulosum valdè.
Aperti semper	lucidi, clari, mediocres, neq; rotundi admodum.	Benignum, iustum, pium, prudentem, virtutes amantem, & assequentem.
Aperti semper	obscuri, & humidi.	Accuratum.
Aperti semper	obscuri, & humidi; si ad hęc mitis eorum aspectus fuerit.	Probum.
Aperti semper	si sicci, splendentes, & puro lumine relucentes.	Audacissimum, inuerecundum, salacem, atq; subdolum.
Aridi.		Nequissimum.

Benè concinni, & mediocris coloris.		Probos mores.
Biliosi.		Furiosum.
Cauî	arridentes; præsertim si genæ, supercilia, & labia vna moueantur; maximè si interdum palpebræ coeant, & interdum separentur.	Infandas cogitationes, cum nequissimo dolo.
	exigui, sicci, caliginosi, & intentè visum dirigentes.	Factiosum improbum.
	intenti, & fluidi.	Dolosos mores.
	intenti, cum mollitie quadam fluidi.	Dementem.
	magni, vt aqua in vase se mouentes.	Haud prauæ naturæ virum; nisi alia intercesserint signa.
	nigri, splendentes.	Immundum, inuidum, malignum, deceptorem prauum, nec non ardua non ignorare cupientem.
	non illachrymantes, sed tanquam vo-	Amoribus obnoxium.

	luptatem præfe-ferentes.	
	parui.	Cupidum, dolosum, insidiosum, inuidia, ac æmulatione tabescentem.
	parui, & sicci.	Præter supradicta mala: infidelitatem, perfidiam, proditionem, ac sacrilegium.
	parùm, & grandiusculi.	Luxuriosum, sed mitem.
	parùm, & subnigri.	Magnanimum.
	valdè.	Nulla prorsus laude dignum, cum maleficus, ac peruersæ admodum mentis sit.
	Istique oculi longiùs vident, quàm cęteri.	
Cerulei	humidi, magni, stantes, & splendentes.	Animosum, iracundum, instabilem, loquacem sine mendositate, bonæ indolis, superbum, in operibusq; probè se habentem, & valdè fidum.
	subhumidi.	Dolosum, mendacẽ, vaniloquũ, valdè iracundũ, furiosum, leuẽ, ambitiosum, trucẽ, vanũ.
	sicci.	Peiores mores.

Cęsij

Cęsij	albicantes; qui color in oculis infantiũ, quum nascuntur, visitur.	Timidum, tenuiq; ingenio affectum, si autem concreti, ac tenebricosi fuerint: impiũ, & scelerosum indicato.
	crocei, qui color in noctuę oculis decernitur.	Syluestres mores; quando verò essent cum paruis pupillis: illiberalem, ac versipellem notarent.
	viridantes, velut oletum, idest, qui oleæ colorem repræsentant.	Fortem, robustum; quibus tamen cunctis si adest siccitas: in prauitate suspectum; præter proprias facultates, censeto.
Circumrugosi, quæ quidem rugæ partim ab angulis palpebrarum sinistris, partimq; à cute temporum propè illos existenti, & summitate genarum, originem trahunt.		Simulatorem, facinorosum,
Circumturgentes.		Crudum, gulosum, inamabilem.
Citrini in albedine.		Iracundum, furiosum, loquacem, leuem, luxuriosum, mendacem, vanum.
Clari lumine, lęti.		Hilarem, præclaris moribus decoratum, atq; longæuum.

Crebrò

Crebrò palpitantes, si sicci, aut parui extiterint.	Non audacem, malum tamen ingenij acumen.
Claudentes se cum fronte aspera, supercilijs obliquis, palpebris duris, & concretis.	Syluestrissimo animo præsidẽtem, ad temeritatem propensum, & qui laudibus inflectur, & muneribus corrumpatur.
cum supercilijs rectis, & palpebris trementibus, & simul oculi, & aspectus subinoueantur.	Effęminatum, insanientem.
recti humidi, iustæ magnitudinis, splẽdentes, cum lęuigata fronte.	Verecundum, docilem, amabilis ingenij, optimique consilij; scientiarum amatorem, atq; studiosum.
recti, cum cęteris supra enarratis, at sicci.	Iniquum, insidiosum, malignũ, temerarium, vafrum.
rursus se aperientes, & frequenter id cum clausione aggredientes.	Inuidum, malignum, mordacem, insidiosum, deceptorẽ, proditorem, temerarium, ac pessimè versutum.
rursus se aperientes modicè, & humidi sint.	Accuratum, prudentem, artium amatorem, studiosum, ac assequentem.

rursus

	rurſus ſe aperientes, ſed pallidi, & trementes.	Inſaniam, & mentis alienationem.
	ſurſum abeuntes, & ſtantes, & ſubfluidi.	Intemperantem, inſanientem, indoctum, vanum, voracem.
Compreſſi, & velut ad ſcopum intendentes.		Crudelem, tyrannum, homicidam.
Conniuentes	diſtorti, & pallidi.	Fatuum.
	humidi.	Multarum artium ſtudioſum.
	ſimpliciter.	Timidum.
	ſicci.	Inſidias, fraudes, occultumq; aliquod malũ ordiri facinus.
Nõ cõniuẽtes	grauiter intuentes.	Nihil vnquam boni molientẽ.
	in ſe ipſos circumuoluti.	Magna amentia laborare.
	pallidi, ſubrubri, & ſicci.	Iniquum, iraſcentem, leuem, inuidentem, malitioſum, loquacem, mendacem, etiam procacem, & fraudulentum.
	placidè intuentes, & humidi ſint.	Curioſum, multa animo ſpectantem, amori deditum, atq; facilem.

ſi quum

	ſi quum clauduntur defluant.	Verecundum.
	ſi quum clauduntur attollantur.	Adulterum, voracem, ſtultum.
	ſimpliciter.	Robuſtum, inuictum.
	ſi rectè permāſerint.	Benignum, ac probum.
Cum angulis	breuiſſimis.	Peſſimos mores.
	carnoſis iuxta naſum, concharum inſtar.	Comedonem, ebrioſum, libidinoſum, doloſum, & impudentem.
	dilatatis.	Oculorum ægritudinem; ſi verò parùm dilatati exiſterent vnà cum oculis modicè, & molliter riſiuis, luxuriam indicarent anguli.
	longioribus iuſto.	Maleficos mores.
	mediocriter inter prædictos ſe habentibus.	Benè moratum, ac probum.
	albicātibus, oculi verò imbecilles ſint.	Eneruem, puſillanimem.
	inequalibus circa pupillā currentibus.	Homicidam, facinoroſum, venenarium.

maculas

Circulis	maculas habentibus.	Infidum, irreligiosum, inuidũ, malignum, detractorẽ, proditorem, prauum; & quantò maculæ sunt magis variȩ, adustio est maior spiritus eleuati; vndè & motuum varietates, & vitiorum caterua procedit; nisi suffusio fuerit.
	quorum inferior viridis, superior verò niger existat.	Dolosum, iniquum, pecuniæ furem, & turpiter cum mulieribus conuersantem.
	si autẽ inferior angustus, & niger, superior verò igneus; at oculi humidi sint, nil alienum in ipsis apparẽdo, extiterit.	Iustum, pium, magnanimum, prudentem, & supra modum filios amantem.
	variorũ colorũ iridem referentium, oculi verò sint	
	asperi, idest, truces.	Ad iram, & ad venerea opera propensum.
	humidi.	Fortitudinem, animi magnanimitatem, integrum eloquiũ, & rectum consilium, tamen cũ iracũdia, & venere turpi.
	sicci.	Infamem, insanientem.

bouino,

	bouino, idest, simili oculis bouis.	Obtusum ingenium, & inertiam.
	caprino.	Indisciplinabilem, stolidum, prauorum tamen morum.
	croceo.	Crudelem, deceptorem, homicidam, proditorem.
	declinanti ad cęlestem, vel nigredinem, & sint oculi mediocres.	Curialem, fidelem, ac penetrabilis intellectus.
	flauescenti.	Magnanimum, atq; robustum.
	fuluo.	Fortem, generosum, ac ingeniosum.
	glauco, minimaq; acie sint oculi.	Auarum, insidiosum, quæstuosiorem, vafrum.
	inter nigrum, & varium; nisi existant radiosi, nec rubedo, aut citrinitas appareat.	Ingeniosum, probè moratum.
Colore	inter nigrum, & varium; at sanguine infecti.	Inconsultum, & ocyssimè, quæ proposuerat, efficientem.
	inter viridem, & cęruleum.	Humanitatis expertem.

inter

inter album, & nigrum.	Ingenio peroptimo præditum, prudentem, studiosum, tacitum, veracem, pacificum.
leonino.	Animi magnanimitatem cum robore, ingenij aciem, & morum nobilitatem.
ouino.	Stupidum, stultum.
pallescenti, & aridi sint oculi.	Ad dolos propensum, satisq; prudentem in operando, & valdè audacem.
pallido nimis, & humidi sint.	Dementem.
pallido tantùm.	Valdè pudentem.
subglauco.	Bonum animum.
subpurpureo, & oculi sint humidi.	Ebriosum, imprudentem.
subpurpureo, & oculi sint sicci.	Iracundum, sæuum.
vaccino.	Hebetis ingenij, vilisq; animi.
vario.	Acutum ingenium, occultas indagans artes.
viridi parùm, cādēti aliquantulùm, & humidi sint oculi.	Subdolum, retrogradæ implicatum veneri, ac seditiosum; & peiorem si sicci essent.

angu-

Pupillis	angustissimis.	Deceptorem, prauum, infamisque veneris.
	citrinis, aut nigris deauratis.	Sanguinis fluxum per inferiora.
	decentibus omninò.	Probum, tacitum, iustum, veracem.
	in quarum circuitu similitudo margaritarum apparet.	Inuidum, verbosum, mendacem, pessimum; maximè in mordacitate, ac detractione; at si oculi varij fuerint coloris: prauissimi, ac scelestissimi ingenij aciem haberet.
	intus colorem aureū habentibus.	Inuidum, malignum, mordacem, dolosum.
	latis nimiùm.	Stultum.
	latis decenter, & concinnè.	Liberalem, fortem, ingenuum, placidæq; mentis.
	nigras guttas, aut sanguineas intus habentibus.	Maleficum, venenarium; si verò pallidæ essent: dolos, proditionesque denotarent.
	nigris parùm.	Hebetem, ac inertem.
	nigris admodum.	Prudentem, perspicacis ingenij ad cunctas artes idonei, mitem, in actionibus tardum, parui-

	paruiloquum, pudentem, ſuſpicioſum verò, timidum, & tenacem.
Orbes tenentibus	
circumuoluentes ſe, tanquã inſequentes.	Iniuſtum, immundum, homicidam, facinoroſum.
conuerſos, coniunctim ſe mouentes.	In genus humanum cuncta mala molientem, tanquam oſſorem, & nefaria efficientem opera.
æquales.	Iuſtum, probum.
inæquales.	Iniquum, nefarium.
inæquales verò, cum nube cærulea, vel viridi, alteriusve coloris, fronti ſuper ſupercilia inſidente.	Dæmoniacum.
inæquales cum ſupradicta nube, at circumcurrentes.	Iniquum, pariaq; opera patrantem, vt potè cognatorum cędes, aut coitus, vel nefarios cibos, ſeu veneficia, & conſimilia.
prominentibus cum totius ſubſtantiæ latitudine.	Dementem.

perparuis.	Auarum, lucri cupidum, callidum, inuidum, malignum, mordacem, puerarium; at si concinnè paruis; mitiores mores.
quarum vna maior sit alia.	Iniquum, proditorem.
quasi colorem igneũ circùm habentibus.	Inhumanum, iracundum, superbum, homicidam, versipellem.
turbatis.	Stolidum, insanientem.
Decentes, lęti, vigilantes, aperti, clari, lucidi modicè, neq; satis rotundi.	Bonam mentem, paresque mores.
Deflauescentes, vltrò, citroque se voluentes.	Arrogantem, impudicum, loquacem, mendacem, instabilem, superbum, vanum.
Demissi omninò.	Subdolum, derisorem.
Discolorati.	Timidum.
Distillantes, atque rubescentes.	Non naturam, sed humiditatem cerebri, & phlegmatis abundantiam.
Distorti naturaliter.	Facilè fallacem, proditorem, valdèque à ratione alienum.

Extensi,

Extensi, cum vultus extensione.	Malitiosum, nequam.
Excelsi, ampli mediocriter, lucidi, vibrantes, alacres, puri, humidi.	Magnanimum, virtutum amatorem, studiosumq; solertẽ in omnibus, recti consilij, ac integri, eloquij dulcis, & gratia ornati, tamen iactabundi.
Flentes semper ex nihilo.	Paupertatem.
Fluidi, lachrymosi, non ex ægritudine.	Stultum.
Grossi valdè.	Hebetem, inertem, stolidum, metuentem.
Habentes calculos, quos Græci cenchros vocãt ad similitudiné miliacei grani; oculi vero sint — Fului — æquales.	Agrestem, iracundum, valdè iniuriosum, & adulterum.
inæquales.	Sæuiores, si maiores; mitiores verò mores, si minores fuerint calculi.
Nigri. — pallidos.	Mangonem, & venenosum propinatorem.
rubẽtes; sed non valdè, ac potiùs in nigredinem vergentes ita	Iustum, ingeniosum, magnanimum, prudentem, probum, tacitumq; virum.

	vt intuentibus nigrescere videantur.	
	sanguineos.	Venenorum ministrum, pollentem etiã magicis carminibus.
Præmagni, cõmoti, micantes, inspiciẽtes vt irati homines solent.	croceos, seu pallidos, igneis admixtos, cũ alijs alterius coloris.	Agrestiores, rapaciores, truciores que mores.
Varij	ceruleos, & flauos ordinatim inter se ęquidistantes sicut monile circa pupillam currentes.	Dolosum, & furtiuum ingenium, virumque nimis audacem, atq; mordacem.
	rubicundos omninò, quadratos, instar ignis sub-	Animum atrocem vltra mentis cogitationem, & domestici sanguinis effusorem, nefanda omnia perpetrantem, &

Varij quilibet alij { sublucentes, & alios post ipsos pallidos; & circuli forinsecus pupillas claudentes intus sint sãguinei, & palpebræ etiã vnà cũ oculorum pupillis moueantur.	dolo, ac versutia cuncta subuertentem.

Notando quòd quantò calculorum colores sunt vehementiores, tantò sunt efficaciores.

Habentes citrinitatem, vt croco tincti esse videantur.	Omnium pessimum; ideò fugiendum.
Humidi { benè concinni.	Alacrem, luxuriosum, probum, pudentem, veracem.
demissi.	Pusillanimem.
leti, splendentes vt aqua.	Probum, atque longęuum.
magni admodum, & inconcinni cum rubore.	Edacem, ebriosum, impudentem, luxuriosum, vanum.

 medio-

mediocriter magni.	Vitam conſpicuam.
męſti, parùm nigrantes.	Cogitabundum, quæſtuoſiorem, timidum tamen.
parui, ſed rectè concinni.	Iuſtum, prudentem, diſciplinas amantem, ſtudioſum in operibus, honoris cupidum, ac tandem probum.
parui verò, & inconcinni.	Inconſultum, loquacem, mendacem, mulieroſum, vitijs ſatis deditum, demumq; in prauitate ſuſpectum.
parùm, ideſt, humidiuſculi, horridè intuentes.	In iram propenſum, acrem, furioſum, ſermone, & actionibus properum, temerariũ ad dicendum, & nequiſſimum.
perlucidi, moderatæ magnitudinis.	Iucundum, magnanimum, magna cogitantem, ac perficientem.
placidè intuentes.	Iuſtum, probum, magnificum, pium, pacificum, veracem.
ſubrubri.	Ganeonem, vinolentum, atque violentum.
In albo venulas, ſeu maculas ſanguineas habentes.	Audacem, ſatq; in malis ingenioſum, iracundum, inſtabilem, ſuperbum, furioſum, impa-

		impatientem, maledicum, trucem, inconsultum, vltorem.
In aliquid meditando, aut animo perpendendo sursum versi vnà cum vultu, quasi cęlum inspicientes.		Malas cogitationes, facinorosasq; imaginationes.
Innuentes protensis palpebris.		Effęminatum.
Intuentes	acriter, ridibundiq; sint.	Deceptorem, detractorem, versutum.
	acutè sub cilijs.	Inuidum, malignum, mordacẽ, iniquum, mendacem, malitiosum, nulla reuelantem, dolosum, atq; tenacem.
	cum supercilijs ad oculos declinantibus; maximè si interdum se tangant, & segregẽt.	Inuidum, mendacem, procacem, aliorumque malis gaudentem.
	fixè.	Cogitabundum, & deceptorẽ.
	innuendo erga aliquem; præcipuè cũ oris detortione.	Lingua noxium, ac seditiosum.
	molliter, vt mulieres.	Non diuersè se habentem.

nunc huc, mox illuc, nil rectè,& firmè tandē inſpiciētes.	Leuem, inconſultum, loquacem, mendacem, ſuperbum, contemptorem, vanum.
rectè.	Probos mores.
terrorē incutiendo.	Rapacem.
toruè.	Inuidum, malignum, petulantem, ſęuum.
vbiquę ſe voluentes modicè, humidiuſculi ſint, & non trementes.	Amabilem, arcano dignum, iuſtum, humanum, veracem.
vbique cum cęteris vt ſupra, ſed trementes.	Inamabilem, impium, iniquum, proditorem.
Lęti, & gratiam pręſeferentes.	Salacem, maximè adulterijs, atq; longęuum.
Longi cum ſupercilijs longis.	Doctum, ſed breuis vitæ.
Luſcioſi.	Semper improbum.
Luſitantes cilijs.	Adulterum.
Maculoſi circa pupillam.	Detractorem, peſſimum.
admodum, velut emergentes.	Ingenio hebetem, inertem, luxurioſum, mendacem, vaniloquum,

		loquum, voracem; & malæ calliditatis dummodo radiosi valdè extiterint.
	concinni.	Iustum, modicè ingeniosum, aliquantulùm inertem, ac pusillanimem.
	cum supercilijs longis.	Breuem vitam.
	liuidi.	Inuidum, inobedientem, inuerecundum.
Magni	mediocriter, parùm lucidi.	Ingeniosum, prudentem, iustum, probum, accuratum, atq; beneuolum.
	mobiles, ac lucidi, si toruè contueantur simul, & supercilia porrigantur.	Agrestem, crudum, rapacem
	pellucidique nitore.	Docilem, iustum, prouidum, & admonitorem.
	splendentes, humidi.	Potatorem, luxuriosum, iracundum, loquacem, obscænum, falsum, superbum, vanum.
	subrubicundi, humidiusculi.	Malignum, æmulatione, ira, ingluuie, bibacitati, salacitatiq;

vibrantes. — citatique implicatum.

Dementem, gulosum, leuem.

Mediocres, & demissi. — Honestum, & verecundum.

Mediocritatem quandam magnitudinis habentes castigatam, medij coloris, non admodum nigri, nec nimis albi, sine maculis, nullove alio malo impugnanti signo, clari, humidi, puri, in quibus nec rubedo, nec citrinitas appareat, non multùm splendentes, interque prominentes, & cauos. — Omni prorsus laude dignum; cum iustè, cordatè, atque viriliter cuncta expediat.

Nigri
- aliquantulùm cum humiditate. — Iustum, ingenij præclaris, pudentem; sed puerorum corruptorem.
- clari. — Iustum, solertem, probum, luxuriosum, ac scitum.
- declinãtes ad
  - flauum. — Bonum animum.
  - viriditatem. — Deceptorem, impium, iniquũ, furem, scelerosum, pædiconem strenuum.
- leniter risiui. — Omnem turpitudinem.

simpli-

simpliciter.	Auarum, lucri cupidum, fidum verò, ac pusillanimem.
splendore notabiles.	Dolosum, prauum, valdè maleficum, & metuentem.
superrubescentes.	Adeò irascibilem, vt ob iram stupeat, & alienetur.
valdè.	Ad luctum auidum, fraudulentum, infidum, satis pauidum, & tenacissimum.
Obfixi obtutu in vno herentes.	Probos mores,
Obliqui, maximè si sicci fuerint.	Inuidum, irascentem, mendacem, linguæ procacis, ac proditionibus dantem operam.
Obliqui verò in febre acuta.	Mortem propinquam.
Obscuri caliginosi, seu squalidi.	Deceptorem, infidum, intemperantem, impudentem, perfidum.
Obscuri fœdi, squalidi, turbulenti, cadaueri tandem similes.	Trucem, insidias, cędes, atq; facinora semper minitantem.
Obscuri humidi, & iustę magnitudinis.	Animosum, constantem, disciplinis habilem, ingeniosum, sed timidum, verecundum, & ferè parcum.

	parui.	Dolosum, malorum artificem, mutabilem, ac multiplici animo insignitum.
	simpliciter.	Impudentem.
	sicci.	Infidum, irreligiosum, detractorem, reprobum, superbum, vanum.
	admodum, & inconcinni.	Callidum, inuidum, malignum, mordacem, furem, tenacem, versipellem.
	clausi ferè palpebrarum causa, & hoc naturaliter; provt in cęteris notandum est.	Ad iracundiam facilem, deceptorem, impium, sanguinarium, versutum; præsertim si supercilia hispida, densa, atque coniuncta essent.
	concinni.	Fidum, iustum, modestũ, probum, at aliquantulùm tenacē.
	cum paruis pupillis.	Auarum, deceptorem, vafrum, præposteramq; in vsu ponentem venerem.
	cum fuluo nigrātes.	Pessimum.
	defixi.	Nequam, tenacem.
Parui	imbecilles.	Seruilem, prodigum, minimè veridicum, nec fidum.

incon-

inconcinni.	Malum, pusillanimem, stultũ.
mobiles, & palpitantes.	Fraudulentum, inuidum, pessimum.
rotundi, cum facie obducta pallore.	Ad malum iterantem.
rotundi, nigrantes, & lucidi.	Perfidum, scelerosum, exploratorem, prauum.
rugosi.	Malignum, maleuolum, ingenij acumine omnia mala molientem, ac simulantem.
tremuli; & cęsij primæ speciei, idest, albicantes.	Iniquum, impudentem, dolosum; ex aliorumque calamitatibus victum sibi quærentem.
valdè mobiles, palpitantes, & splendentes sint.	Peiores mores.
varij.	Adulatorem, auarum, quæstuosiorem, alia dicentem, & alia facientem, & in his occultè gaudentem; quamuis ipsi nil emolumenti eueniat, tandemq; omnia lucri gratia agere neutiquam abstinentem; nisi quatenus præ formidine deterreatur ille.

Procli-

Procliues ad risum.	Humanum, pium.
cęsij, albicantes.	Iniquum, & incompositæ mentis.
cum grauedinosis supercilijs.	Dementem.
deorsum versi, tanquã concidentes.	Immites, & implacabiles mores.
humidi, moderatæ magnitudinis.	Magnificum, & magnarum peruestigatorem, ac efficientem.
magni, splendentes, & humilis obtutus.	Iustum, prudentem, studiosum, tacitum, & amore plenum.
micantes, trementes, ac salientes.	Dolosum, prauum, versutum.
mobiliores.	Libidinosum, subdolum, atque voracem.
multùm, & tenebrosi.	Hebetem, fatuum.
Prominentes. Parui cancerorum instar.	Fatuum, stolidum, suasque voluptates sequentem.
Parui igniti.	Inscium, & debilem re, ac dictis.

rubi-

rubicundi.	Mentem, & linguam effrænatam, ac instabilem animum.
tremuli.	Dolosum, irascentem.
quibus in circuli speciem tumor circumducitur, aut contrà, quos veluti castrorum fossa circumdauerit.	Valdè dolosum.
sanguinei, seu superrubescentes.	Edacem, ebriosum, gulæ datū, aleonem, iracundum, luxuriosum, multùm mulierosum, superbum, turpiloquū, trucem, vanum.
sicci.	Patricidam, puericidam, omninò sanguinarium, & venenorum propinatorem, omniumque facinorum stemmate decoratum.
sursum erecti.	Ferocem, impudicum, impudentem, imprudentem, edacem, gulosum, bibacem, salacem, leuem, superbum, vanum.
tantùm.	Loquacem, vinolentum, libidinosum, mendacem, somnolentum, vanum.

valdè,

	valdè, & maximi ſint.	Stolidum, ſubuerecundum, ſomnolentum, vinoſum, comedonem, ſalacem.
	Iſtique parum vident: quia elongantur à cerebro eorum fonte.	
Quaſi ignei.		Iracundum, impatientem, mordacem, inuerecundum, litigioſum, ſuperbum, etiam rapacem.
Quaſi ridentes, cum reſiduo faciei.		Adulatorem, detractorem, libidinoſum, vanum.
Retorti ad	dexteram.	Fatuum.
	ſiniſtram.	Incontinentem.
Ridiundi	aperti, & minaci aſpectu.	Iniuſta ab ipſo geri opera.
	caui.	Tanquam inſidioſum, ſemper aliquod malum conſulentem, & peragentem.
	circumrugoſi.	Maleuolum, mordacem, ſimulatorem, atque vltorem.
	cum fronte, genis, ſupercilijs, & labijs commotis.	Neſandas cogitationes, malum conſilium, & iniqua opera.

fixè

